

# BONI BONII

IVRISCONSULTI CORTONENSIS

INTRODVCTIO AD TITVLVM

DE ADQVIRENDA VEL

AMITTENDA POSS.



NEAPOLI

CVM PRIVILEGIO

Excudebant Raymundus Amatus, & Ioan du Boy

Socij Anno Domini M D L X V I .

BONVS BONIVS IVRISCONSVLTVS

Cortonenſis Ampliſſ. Patri, & iuriſperitiſſ. Antonio

Laureo Antiſtiti Stabiendi, & Regio Sacello

præſecto . S . P . D .



inuuluis

GO nup̄r tecum de duobus iuris interpretandi generibus. Longiori fortasse sermone, quam Magistrum artis deceret, egi Antistes amplissime: Quorum alterum rudi illo decemuirum sæculo, ad honorem etiam eorum qui eam facultatem tenebant; qui leges, & iura duarum Græciæ ciuitatum imprimis benè moratarum in Urbem inuexerunt: Quo certè tempore aut nullæ, aut per pauca erant litteræ. Ita primi iſdemq; noui iuris prudentes tum exemplis, vſu, & conſuetudine qua sæpe mala eſt iuris interpretatq; authoritatibus pro rationum momentis, tum Verborum ethymologijs, id eſt, originationibus (vt M. Fabius interpretatur) leges & iura Pop. Ro. tractabant. Alterum autem Græciæ non modò imperio, ac bellica laude, ſed omni etiam optimarum artium gloria Romam translata, cœpit aliquantum effloreſcere: tum primum Romani aliqua latinitatis elegantia, & Urbanitatis linguam tingere non contenti, tranſmarinis etiã atq; aduentitijs diſciplinis eruditi ac perpoliti, iuris artem inchoari poſſe didicerunt. Ita ius ipſum in certa quædam genera, & ad aliquam artis ſpeciem redgere facile meditati ſunt. Vero tandem iuris interpretandi genere me publicè vt malles roganti mihi facilè reſponſiſti hoc tibi ſecundum vt cum optimum perplacere. Nihil enim tibi admirabilius, neq; memoria (quæ propria eſt Iuriſconſultorum) alendæ uilius uideri dicebas quàm leges, & iura Po. Ro. artificio quodam et ratione; atq; vt Græcorum doctorum uerbum uſurpem Methodo diſcentibus tradere, quæ tantum populi, vel plebis, Senatus, Conſulis, Prætoris, Aediſis acta erãt

aut a Torum similia, quibusq; antea Veluti scopis dissolutis Vtebantur, &  
 quod indignius erat, bonis praesertim artibus ad ingeniorum, et vita cul-  
 tum à Græcia omnis humanitatis, omniumq; Virtutum parente repertis,  
 & ad summum perductis iuris studia clausis, quod aiunt Jocus ingres-  
 si ferè semper offendeant. Addebas etiam pro tuo in nos amore eius ar-  
 tificij, iam longo interuallo intermissi, ac penè nostris hominibus obliti  
 Reuocatores, & Restauratores operæpretium à Pop. Rom. quàm am-  
 plissimum consecuturum; nam qui Gneum Flavium ob iuris actiones vul-  
 go expositas, atq; euulgatas; Aedilem etiam curulem creauit; quid ei fa-  
 ciet, qui rationem omnem iuris, ac viam munierit, in quam homines, ex  
 tam longo, ac diuturno errore manu deducat? Nam sine methodo; &  
 animi, & ingenij celeres motus memoriam nec firmam, nec diuturnam  
 tenere possunt. Quamobrè Gaius Cesar ac M. Cicero duo tu n eloquen-  
 tiæ, tum sapientiæ Ro. oculi, ex omnibus præstantissimis ingenij mune-  
 ribus, quæ plurima Pop. ediderunt; nullum neq; dignius, neq; melius pol-  
 liciti erant, quàm iuris civilis artem, istam tuam mei cohortationem An-  
 tijles Amplissime, vel potius iudicium, imperium esse interpretatus nihil  
 prius habui, quàm vt tibi quacunq; obsequer. Itaq; Ego, qui à puero  
 ad philosophos à patre deductus fueram, eodemq; penè tempore Tribu-  
 nianis iureconsultis animum applicueram, artem, qua ipsi ius civile com-  
 posuerunt illis iisdem Vestigijs, quibus philosophos consecuti, hoc iuris ar-  
 tificium perfecerant, studiosè ipse insistens nostris scholis ignota iam cõ-  
 plures annos ita ostendo, vt ingeniam defatigasse verius quàm satiasse vi-  
 dear. Nam differendi scientiam, quæ ex his rebus, quarum ars nondum  
 sit, artem efficere docet, ex philosophia fontibus cum iureconsulti auffsif-  
 sent non inuita (quod aiunt) Minerua ad ius civile adhibuerunt, legesq;  
 & iura, quæ quondam dispersa, & dissipata fuerant, artificiosè digesse-  
 runt, vnde meritiò gesta sunt nominata. Quandoquidem regulis, & ge-  
 neribus, quæ certa, & numerata posuerunt, ritè diuidendis partes om-

nēs iuris facile inuenerunt. Genera porro partesq; sui generis commu-  
nōne similes, specie autem differentes, quam vim haberent diffinitioni-  
bus expresserunt, eas verò breues & acutè circumscriptas tabulis etiā  
( ut dicunt ) consignatas in manibus habemus. Quod artificium exem-  
plis, quorum plenæ sunt pandectæ facile illustrarem, nisi ex scholis can-  
tilenam ad te omnium huius ætatis iuris peritrum sine controuersia prin-  
cipem afferre subuerer; hoc tantum nostris hominibus persuasum esse  
velim ius non modò hodie artem esse, sed artem boni & æqui, qua æqui-  
tate, ut nihil à Deo melius, atq; salutaris humano generi datum est, ita  
tanti boni doctores & administri in magno si non in maximo honore po-  
nendi mihi videtur. Sed iā inde vsq; quantū certi homines fatali in bonos  
maleuolentia infuscati ( semper. n. rari et perinde pulchri conatus inter-  
pellantur ) mihi incōmodarint, atq; et nunc incomodent dici hercle nō po-  
test. Hoc. n. tēpore in summa versor inuidia, et edindigniore, quòd in co-  
rona pro Gymnasio hi feris nostra vellicāt, q̄ eadē domi mirātūr, quodq;  
ij nobis obtreclant, qui iudicare tantū de alijs, & ipsi facere nihil no-  
runt; Quæ nam hæc, per Deum, si non est temporis summa iniquitas? ut  
qui in prytaeo publicè pro suis in populum meritis alendi erant, ij pro  
iure iniuriam, pro laude conuicium, pro prætio damnum accipiant? Sed  
scito nostros inuidos tela quidem in me ferre, sed non frire hominē per-  
sona socratica indutū. Horum maledicentiam si vitare minus possumus,  
at certè quod tua est opis, & ( ut video ) voluntatis; ne aculeos veneficæ  
Ape in corpore nostro relinquat, te Duce præstabit. Aq; ut ad ma-  
ledicta veniam, isti Legulei. & fortes ( si dijs placet ) veterani me iuris  
tyronem, & semper discipulum, me iuris sophistam in omni sermone ap-  
pellant; opinor, quòd Aristotelæa via in iureconsultorum adyta ingre-  
diar. Tyronem me, & semper discipulum non modò iuris sed reliqua-  
rum omnium artium, cum Iuliano, & Solone, duobus omnis sapientiæ  
Antistibus dici libentissimè patior. Iulianus certè iuriconsultorum fa-

cille corypheus, tametsi alterum in tumulo pedem haberet, ad huc tamen  
discere se cupere profiteretur. Quid Solon? nonne in versibus gloria  
tur se quotidie aliquid addiscentem senescituri? Sophistæ etiam nomen  
æquo animo ferrem, si de Herennio Modestino, & cæteris iureconsul-  
tis hoc nomine vti didicissent, Iureconsulti enim sophistas magistros Re-  
thoricos appellant, quæ facultate nihil nostræ iurisprudentiæ concedente,  
atq; haud scio an multo clariore, magisq; plausibili, vtinam mihi aliquan-  
do per iniquos gloriari liceret, certè iureconsultum & oratorem.

Me non carminibus Vincet, nec Thracius Orpheus.

Nec Linus, huic mater quamuis, atq; huic pater adsit  
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet.

Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Quæ à me non tam arroganter decantata putes velim, quàm notis (ne ab  
eodem Virgilio discedam) rumpantur vt ilia Codris. Deniq; me veterum  
nouatorem, proprii loco vocant. Hæc scena est totius obtrectationis, vitio  
mibi dant. quod philosophiam cum iurisprudentia coniungam, in quo de-  
miror meos vituperatores cupere Aristotelem verum omnium humanarū  
ac diuinarum præstantissimum magistrum mihi pudori esse, quem Ro-  
mani iuris authorem non erubescunt. Sed quod istorum tandem os? peri-  
pathericos suo theatro exhibant, & explodunt, in quo Homerum, atq;  
Virgilium Poetas iuris authores magno fauore accipiāt. Volunt aliquos  
principes viros non modò Aristotelis laudatores, sed studiosos imitato-  
res? quem cedò? Marco Cicerone clariorem quærunt. Is princeps, cui di-  
centi in Curia, Foro, & concione Sulpiciani iuriconsulti semper cesse-  
runt, Aristotelis opes ad Romanum Oratorem iam tum inopem, ieiunū,  
aridum, mancum, ac quædam operarium lingua celeri, et exercitata at-  
tulisse gloriatus est, vt præsidio Aristotelæarum artium sæptus, vnicus  
hic ois memoriæ oratoreloquætiæ palmā (si Apollonio Moloni credimus)

Demosteni Atticorum atticissimo præripuisse putetur: Quid mihi per istos non tam iuris, quàm iniuriæ peritos, quàm coquos iure collicos, quibus non pectus, sed tantum palatum sapiat Aristotelis bonis sine superbia uti non licebit? Quin immò ille idem Cicero quo iuris Romani conditore nostri meritò gaudent, totam rationem Topicam prius Gaius Trebatius Iureconsulto de mensa Aristotelis sumptam & quo animo numerarit, quem probè alias nemini quidem suo soluendo esse, immò verò non facultate solum, sed etiam facultatibus breui lapsurum prospiciebat, à miram hominum cecitatem, qui omnium bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem, cognationemque inter se non vident, cum iam candidè omnes hoc unum nobis assentiantur, ut virtutes sic scientias omnes ita inter se coherere, ut alteræ sine alterarum tanquàm à miniculis iaceant nec nati, aut se erigere possint: In primisque iuris prudentia, quæ ex æqui; & boni scientia constaret, unam quandam virtutem esse, & qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque ipsas esse inter, se æquales, & pares: itaque qui esset iureconsultus, eum Grammaticum, Poëtam, Oratorem, Logicum, Physicum, Medicum, Moralem, Politicum, Mathematicum, omnidenique ingenua sapientia præditum esse necesse est, ius etenim quod artè boni, & æqui esse dicunt, dispertiti naturæ Gentium, ac Civitatum commodis metiuntur, qui verò iuris naturalis vim assequantur, sine physicorum cognitione? qui ius gentium, & civile teneant, aut pro dignitate tractent sine politicæ prudentiæ, ac moralis facultate? in quo solidi homines, & imprudentes non sentiunt sese labefactare quod interpretari volunt, cum à iuris compilatione, atque interpretatione artem seiungunt, Hoc etiam buius artis vocabula quæ sunt innumera declarant, quæ qui ritè à verbis in sermonis consuetudine positæ separabit, is mediis fidius se ex multis controuersi vel potius perplexi iuris ambagibus facillè extricabit. Quòd autem me in veteribus nouatorem nominant, id non magis me pungit, quàm omnes novos iuris interpretes, qui Accursijs, Bartolis, & Baldis iam vè



luti cornicam oculos confixerunt. Sed quid hic Arator (ut aiunt) orato-  
rem? nam ego te certè scio ad banc causam fidem, & ingenium singula-  
re allaturum, quas duas res (aiunt) Patronos tuendis Reis prestare debe-  
re, idcirco nunc te rogo, atq; obsecro, ut quia tuo unius iussu, atq; impe-  
rio tam inuidiosum opus subij, mihi ope m feras, tuoq; patrocinio subleues  
quo isdem animis, quibus me ad hoc opus sepissime respectantem, ac de  
liberabundū impulsisti, ipse grauiter lacesitus inuidorum impetus, pos-  
sim te patrono retundere illum ipsum Aristotelem imitatus, qui & si di-  
cendi simul ac sapiendi summus esset artifex; pro se tamen causam At-  
benis dicere refugit: qui patronos sibi aduocant non tam suæ causæ diffi-  
dere, quàm hoc quicquid est, more facere mihi videntur, ius enim, quam-  
uis iniuria nonnunquam debilitetur tamen nunquam extinguitur, sed  
tamen, quod credo.

Victoria pars est patronus optimus.

In quo iuxta nostros iure peritos mibimet satis caui, qui te tum mirabili-  
ter facundum, & sapientem (quod singulare, ac prope tutum tuum est)  
patronum mihi afficiui, homines si quidem hoc tempore Antonium Lau-  
reum tanquam Phenicem admittunt. tute scis ius, & iniuriam, veritatē,  
& fallaciam, virtutem atq; vitium, vicina admodum esse, ac linea perte-  
nui, nec ita multo firmiore; quàm est Araneæ Tela diuidi, quam non mo-  
dò transilire, verum etiam perrumpere cui vis sanequàm facile est, nisi  
Maior aliquis fines regat, ac viribus eloquentiæ, & præsidio tueatur.  
Et quoniam huius gloriæ iuris interpretandi mihi non tam quærenda  
est possessio, quàm iure optimo parta, eodem te auctore retinenda, ut in-  
uidiam istorum magis superare, vel quòd in primis studui, & appetui,  
placarem quàm quòd nescio; quonam meo fato certè quidem infelici quo-  
tidie experior, concitarem, introductionem quandam per breuem ad titu-  
lum de Adq. poss. tuæ Amplitudini edidi, & dicaui, Et si ad eò nostri ob-  
treclatores nihil de suo in nos stomacho remittunt, & semel illis constitutū

est, ritu Vlyssis sociorum aures cera ad nostros cantus obfignare, mibi  
metipsi & tuæ Amplitudini ( quæ mibi virtutum omnium instar est ) ve  
lut Ismenias canam. Benè vale optime patrone, & nos defende.

Dat. Neapoli. VI. Idus Martias. M D L X VI.

Octauij Argoli scholastici Rom. de præceptere suo Bono Bonio Iurif  
consulto Cortonensi Epigramma.

Qui colis Eunomien ; Tetricæ qui numina Diuæ ;

Quam peperisse Ioui dicitur alma Themis.

Gaude sorte tua ; cui dux Bonus auia pandit ;

Ceu labyrinthæ Dædala fila viam ,

Hoc duce barbaries liquida demente fugatur ;

Et Romana suo lumine iura nitent.

At vos clamosi ; vanissima turba ; sophistæ

Cedite : ne uestra pulpita voce sciant.

Quis non inuentis ; glandem aspernetur aristis ?

Quis pluuiam spreto nectare maluit aquam ?



# PRAEFATIO DE METHODO IVRIS

*interpretandi Boni Bonij Iurifconsulti*

*Cortonenfis.*



**VI** Rerum dubiarum causas studiosè inquit, eum quatuor <sup>a</sup> in vniuersum instituere oportet. Sunt enim potissimū Quatuor quæstionum momenta, An id de quo agitur sit: Quid sit, Quale sit, Propter quod deniq; sit. Quas quæstiones ratio nominis merito au-

<sup>a</sup> Arist. 1. Post. tex. 1.

tecedit. Ignota enim vi nominis, vix est, vt rem ( cui significandè nomen inditum est) intelligamus, sicuti Vlpianus <sup>b</sup> pluribus locis obseruat. Iuri (ait) operam daturum prius nosse oportet, vnde iuris nomē descendat, fecit idem Philosophus <sup>c</sup> Nam de inani disputaturus ante omnia Quid nomen inane designaret explicat. Inane (inquit) locus est corpore vacuus. Idem etiam in mutationis tra situ, & motus, primum mutationis significationem aperit. Mutatio <sup>d</sup> (inquit) significat hoc quidem prius, illud verò posterius. Nec verò ignorandum iuxta philosophorū, ac iurifconsultorū <sup>e</sup> sententiam nomina rebus significandis data. Ex quo fit, vt in omni disputatione, vocabulis rerum loco vtamur. Que in præsens oculis disputantium offerri <sup>f</sup> nō possunt. Vnde nominum, quam vim habeant, scientia maximè necessaria est. Cuius ignoracione sæpe in maximos errores incidimus. Sapienter Marcellus, & Qui non aliter à iusta verborum significatione recedendum dicebat quàm cum manifestum est aliud sensisse Testatorem. Idem refere Vlpianus <sup>h</sup> Si quis in fundi vocabulo errauerit, & Cornelianum pro Semproniano nominauerit, debeat iur Sempronianus: Sed si in corpore errauerit, non debeat. Quòd si quis cum veller vestem legare, sup pelle ctillem adscripserit, dum putat sup pelle stilis appellatione vestem contineri, Pomponius scribit vestem non deberi. Quemadmodum si quis putet auri appellatione, electrum, vel auricalcum contineri, vel quòd stultius est, vestis appellatione etiā argen-

<sup>b</sup> J. 1. de iust. & iu. l. 1. si cert. per. Paulus in l. 1. de fur. & in l. 1. h. r.

<sup>c</sup> Phil. 4. tex. 57. <sup>d</sup> Phil. 5. tex. 70.

<sup>e</sup> J. labeo de sup. leg.

<sup>f</sup> Elen. 1. c. 1. Accurs. in §. 1. inst. de actio.

<sup>g</sup> J. non aliter de leg. 3.

<sup>h</sup> J. si quis in fundi de leg. 1.

21091  
 tum contineri. Rerū enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia. Consequitur prima questio, An res sit: Nec immeritò, nomine etenim rei confuturo, & exposito, rectè quæri solet. An eā se in rerum natura, atq; vsu: hoc nostri in Centauri vocabulo agitant. Primo quærunr, quid hæc vox significet, nempe animal dextrimis, atq; sinixtimis partibus alarū, capite erecto, sic nomine intellecto statim quærimus, An eiusmodi animal in rerum natura reperiatur. Frustra quidem in re vestiganda, quæ non sit laboratur: & ne à iuristonsultorum nominibus recedamus, si de posthumo alieno agendum sit vbi nominis etymon explicuerimus prius illa questio occurrit an posthumus alienus sit. Quum enim scientia aliud nihil sit quàm causarum rerum certa quedam notatio & cognitio, earum certè quæ non sunt nulla institutio suscipi debet. Secundo loco sciendum quid id sit de quo quæritur & ne à posthumo alieno recedamus quid ipsum sit definitio explicat.

i §. posthumo in-  
 fi. de leg.

Est autem ( vt obiter dicam ) Alienus 1 posthu-  
 mus qui natus, inter suos ( prouē ingeniosè ex Theo-  
 phili institutionibus doctissimus iurifconsultus Lelius  
 Taurellus Fanensis vir profectò de scientia nostra be-  
 nè meritis, cui omnes iuris ciuilibus studiosos plurimum  
 debere decet, in aurea illa sua interpretatione ad legem  
 Gallus animaduertit, interpungitq; quem subtilissim⁹  
 præceptor meus k Ronca Gallus refert, cuius me di-  
 scipulum omnes agnoscere maximopere lætor, glori-  
 orq; ) hæres testatori futurus non est. Ideoq; ex emanci-  
 pato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus  
 auo. qui quum verbis legis institui non posset 1 quip-  
 pe qui eo iure esset incognitus à prætore m adiuuaba-  
 tur, cui plenius Imperatores n prospexerunt, ita vt an-  
 tea iure honorario hodie etiam iure ciuili rectè hæres in-  
 stitui possit. o Nepotem verò ex filio in potestate pos-  
 sithumum mæro illo iure institui potuisse nulla dubita-  
 tio est, p siquidem alienus posthumus non esset quo-  
 niam natus situs hæres futurus est inter suos, vt maxi-  
 mè mirer aliquos opinatos fuisse, hoc Gallo Aquilio  
 acceptum ferendum, qui solum instituendi formulam in-  
 duxit, q licet ad alienos produci possit, r qua de re  
 alias longioribus ( vt dicitur ) subsellijs agemus vt cū  
 his aliquando contendamus ( Lelium & præceptorem  
 excipiam ) qui se iuris choriphæos profitentur. Sed vt  
 edreuertamur vnde digressi sumus vt tota res liquidi-

k In. §. 1. ad tit.  
 de bon. poss. infi.

l §. 1. infi. de bon.  
 poss.

m .d. §. 1. de bon.  
 poss. & §. posthu-  
 mus infi. de leg.

n .d. §. 1. de bon.  
 poss.

o .d. §. posthum⁹  
 infi. de leg.

p .1. verbis legis  
 de verb. sig.

q .1. Gallus de li-  
 be. & posth.

r .1. pen. de leg. 1,

us diiudicetur, scire debemus in methodo à philosophis tradita Duo defendi genera haberi, Vnum quod nomi-  
 nis notationem, Latini appellant, Græci etymologiam,  
 quæ à iuris magistris definitur. Oratio nominis signifi-  
 cationem exponens: sic Testamentum<sup>8</sup> dicitur men-  
 tis testatio. sic possessio, <sup>t</sup> pedum positio, sic à Gram-  
 maticis abseniens, quasi temere absiniens: Secundum  
 definiendi genus limatius esse volunt, & subtilius, vt  
 putat Orationem rei, vt V si a, id est, substantiam  
 indicantem, vt homo rationale est animal. Atq; hanc ip-  
 sam definitionem etiam duplicem ponunt. Vnam essen-  
 tiam rei explicatricem, quæ propria definitio nominatur:  
 Alteram ex quibus rei causis euolutionem. Tertiam  
 circumscriptionem ex his, quæ rebus extrinsecus acce-  
 dunt, assumptam. Propria porro definitio, Oratio est,  
 genus, & differentiam rei continens. <sup>u</sup> Vt iustitia est  
 confians, & perpetua voluntas, ius suum vnicuiq; tri-  
 buens. Quæ autem ex causis nascitur definitio. Est  
 oratio proprias causas declarans. At quando causa-  
 rum genera quatuor sunt, Efficientes, materiam rei con-  
 sistentes, rem item informantes, prætereà etiam finales.  
 Causa efficiens, quæ vt res sit præstat, vt faber. Do-  
 mus effector est: nisi magis placet Aristotelis definitio,  
 qui efficientem causam esse ait, vnde nascitur primū  
 principium motus, & mutationis. Materialis illa est,  
 quæ cum in sit ex ea aliquid fit, Vt æs, statue, carnes, &  
 ossa corporis humani. Perinde causa informans, per  
 quam res est, quæ simul cum materia rem totam absol-  
 uit, vt anima rationalis hominis est forma, & figura sta-  
 tuæ. postremo causa finalis, cuius gratia, siue propter  
 quã quidpiam fit, vt beatitudo hominis, & sanitas por-  
 tionis amaræ. Ex his autem causis aut vniuersis, aut  
 singulis tanq; fontibus definitiones haurire licet. Ex-  
 emplis res illustranda est. Sic ex causis materialibus do-  
 mus<sup>x</sup> definitur, vt sit ex lapidibus lignis alijsq; parti-  
 bus compacta. Ius scriptum<sup>a</sup> sunt literæ, vel tabulæ,  
 scita, & placita populi, plebis, senatus, consulū, præto-  
 rū, Aedilium exprimentes. At verò ius scriptum ex  
 causis efficientibus<sup>b</sup> si finire volumus, populi legem,  
 plebiscitum, senatusconsultum, prætorum, vel ædiliū  
 edicta, principumq; constitutiones<sup>c</sup> esse dicemus, vt  
 eius iuris effectores, & conditores quasi enumeratione  
 designemus. sic lex erit. Quod Populus Romanus se-

<sup>8</sup> §. 1. insti. de test.  
 Gelli<sup>9</sup> lib. 5. c. 12.  
<sup>t</sup> .l. 1. h. t.

<sup>u</sup> .l. 1. §. dolū de  
 dolo.

<sup>x</sup> .l. eum qui gdes  
 de vsucap.  
<sup>a</sup> .l. ius autem ci-  
 uile de iust. & iur.  
<sup>b</sup> §. consiat autē  
 insti. de iur. nat. & c.  
<sup>c</sup> §. sed quod pri-  
 cipum insti. de iur.  
 nat. & c.

natorio magistratu' interrogantē veluti consule confū-  
 tuebatur: & si à physicis exempla mutare libet, Mūdus  
 est ex cōelo, terraq; et ex naturis, quæ intra hæc seclūdū  
 tur confūctio. Medicina est, Quæ animantium corpo-  
 ribus medetur, ex causa informantē. Sic ita est Vindi-  
 ctæ appetitus. lex est quæ æquitate eos, qui ciuidē cini-  
 tatis sunt, ad res suas obtinendas continet, sic à causis  
 etiam finalibus definitiones oriuntur: vt Homo est ani-  
 mal ad beatitudinem natum: Domus vtile ædificiū ad  
 habitandum. d Ex quo videre licet Ius ciuile vniuersū  
 in rebus aut acquirendis, aut seruandis, aut diminu-  
 endis consistere. e Porro autem definitiones, aut pluriū  
 generū eausis nasci possunt, vt Homo est aīal ex ra-  
 tionali anima, æternæ beatitudinē creatū. Sic ius. f At  
 boni, & æqui, cuius meritō sacerdotes Iureconfulti ap-  
 pellantur. Iusticiam namq; colunt Iureconfulti, Boni,  
 & æqui noticiam profitentur, licitum ab illicito discer-  
 nentes, bonos nō solum metu poenarum verū præmio-  
 rum quoq; exhortatione efficere cupientes, veram (ni  
 fallor) non simulatam philosophiam affectantes. Qui-  
 bus et definitiendi modis. Lex g erit Commune præcep-  
 tum, virorum prudentum consultum, delictorum quæ  
 sponte, vel ignorantia contrahuntur coercitio communis  
 Reipu. spon. sio. In quo animaduertendum est præsertim  
 in hac iuris ciuilibus arte, formam cum sine ita amicè con-  
 iuratur, vt alterum sine alterius ope vix cōsistere queat.  
 Sic in oībus a cōsuetudinibus misuetur, quemadmodū  
 Tutela h est vis, atq; potestas in capite libero ad eū  
 dū eum qui p p̄tatem se defendere nequit iure ciuili  
 data, ac permittitur, sic obligatio i est iuris vinculū quo  
 necessitate astringimur alicuius soluendę rei secundū  
 nostrę ciuitatis iura. Sic actio k est ius persequendi in  
 iudicio, quod nobis debetur: ad eū et modū, Testamen-  
 tum l est voluntatis nostrę iusta sententia de eo qd qd  
 post mortē suā fieri velit, Sic stipulatio m Acceptilatio  
 n & innumera alia iuris vocabula, hæc finiedī regulis  
 aperitūtur. Tertia definitio, q̄ ex causis rei accidentibus  
 cōstat. Quæ potissimū qualitates sit breuiter enucleat.  
 Est autē ea definitio, Oratio rē per extrinsecus accidētia  
 explanans: eaq; duplex ponitur: Vna siquidē quæ ex  
 genere, & proprietate, q̄ illi sollicitueniat, cōscitur: vt  
 hō est aīal risui natura apertū. Terra ē elemētū grauissi-  
 mū, ignis elemētū leuissimū. Quæ propriē à nostris de-  
 scriptio nominatur. Altera ē quæ ex accidentibus alij  
 qdē rei cōicatis constat, quorū singula licet pluribus

d .l. tabernę de  
 verb. sig.

e .l. fin. de leg. &  
 senat.

f .l. i. de iust. &  
 iu.

g .l. i. de legi.

h .l. i. de iur.

i .l. i. de iust. de obl.

k .l. nihil ali d d  
 a. r. & obl.

l .l. i. de testam.

m .l. i. de stipula-  
 tio de verb. obl.

n .l. i. de accepti-

o .l. i. de iust. de iur.

p .l. i. de iust. de iur.

q .l. i. de iust. de iur.

r .l. i. de iust. de iur.

s .l. i. de iust. de iur.

r 4

r 5

r 6

rebus in sine, simul tñ iuncta ei rei, & quidē soli (que de finitur) hæret, vt hō est aīal bipes implūe, pulchrū mag-  
 16 gni cerebri. Et hæc satis abūdeq; de secunda quæst. que quidnā est nūcupatur. Nunc dicamus de tertia quæst. q̄ qualis sit exponit, propriamq; naturā rei, quā necessa-  
 riō sui affectus consequitur aperit. Hinc consentaneū est quætere. Quō aliquid alicui insit: Vtrum vt propri-  
 us affectus, An aliud quoduis prædicatum, iam cōper-  
 to aliquid alteri inesse statim emergit quæstio. quæ pp̄ quid appellatur, id est, quā ob causam hoc illi insit, vt qm̄ exempli gratia risus natura homini inest, causam inue-  
 stigamus, propter quā is affectus insit. hæc autē rē-  
 dendi causa affertur, qđ rationale sit animal. vt si quæ-  
 rimus An possessio facti sit potius quā iuris, qualitate cognitione res dijudicanda est. Deinde quare facti sit. cognitu erit facile, sic possessionē facti esse dicemus quā vsus sit<sup>o</sup> & naturalis Catochin apprehensio, vel occupatio corporalis, vel quæ naturalis (vt ita dicam) æquipo-  
 17 p̄lleat quā eandem, & ciuilem appellare licet. Hoc est artificiū qđ ego quasi de manu in manū studiosē iuuentuti tradere constitui: quo rē quamq; dubiā perspicuā efficere possimus: & sine quo, manca, & illiberalis non iuris modo, sed reliquarum ēt ingenuarum artium tra-  
 ctatio futura est. Hanc methodum summis uiris mirifice, & philosophis, & veteribus Iureconsultis placuisse video, vt maxime mirer nostris Doctoribus, si modō viderunt repudiatam fuisse, sed cuiq; suū (vt dicitur) Iudicium liberum esto. Illi sui insituti rationem fortasse habuerunt. ego meo foro seruiam, adē vt certē quidē cū Platone (vt dicitur) errare, quā cū istis minutis leguleis benē dicere malim. Nam sequenti magnos Duces, eos p̄seruim, & tales Iureconf. error semp̄ est honestus.

Boni Bonij Iurisc. Cortonenfis Ad tit. de Adquir. vel amittenda poss.



prima verba magis foreuito (vt Arist. placet) & quasi

LACET Igitur qm̄ possessio quid sit diffinienda est ante quætere, vnde ipsa & quot modis dicatur, illud nos conduceat ad eius diffiniendę investigationē. Propterea qđ origo<sup>a</sup> verbi siquidē id rectē deriuatū est, eodem rationis fonte, quo diffinitio p̄fici scitur. Etenim p̄cipio

a .i. s. appella-  
 ta si cer. per. l. r. de  
 fur.

o .i. quæstio de  
 verb. sig.

b §. est & aliud iudicio & ratione ducta sunt, b in quibus nomen possessionis, vt meritò de eius ethymologia quærendum videatur. Quæ ratio in disputationibus vocabulorū ambiguitatem, & proinde rerum, maximè enucleat, nō minus quàm distinctio. Qui mos ( vt autē diximus ) veterum iurisperitorum & philosophorum fuit, vt initio diligenter inquirerent qua de causa quæque res ita nominatæ, atq; in his prope princeps Vlpianus, c qui cum pluribus in locis à vocabuli notatione, rerum rationem exorditur, quod & hic Paulus obseruat.

c l. 1. de iust. & iu. l. 1. si cert. pet.

d l. 1. h. t.

• Lib. 1. disp. c. 1.



Offessio igitur appellata est à pedibus (& vt Labeo dicit) quasi pedum positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit, quam Greci ΠΑΤΟΧΗ dicunt: quæ sententia tamen si iureconsulti sit, Alciatus e tamen ab ea recedit irridēs eos qui putat

f In suis declarationibus.

Vaconij sententia

g l. quod in litore sup. r. l. in tantum de rer. diu.

possessionem à pedibus dici quum ipsa nec quicquam cum pedibus commune habeat, nec verbum pedis in eo nomine inclusum sit, quod grammaticis notum est, qui possideo, confideo, assideo, ab eodē verbo sedeo formant. Magis idcirco Alciato placet possessionem à sedibus esse dictā, cuius opinionis Vaconius f (quē honoris causa nomino) assentitur. Vir quidem, meo iudicio, perdoctus & ingenij acumine in iure sterpetando præexcellens. Sed tamen quum pleriq; in locis ingeniosus quàm verius censere videatur, statui assensum quodammodo sustinere, & tantum discipulis qua in re dissiderem indicare. Nec enim (vt spero) ægrè illi erit, si suum vtriq; iudicium integrum relinquatur. Dicit igitur ipse initio omnem terram ( ne ab eius verbis vel larum vnguem discedam ) fuisse communem, quo tempore non erant dominia: sed omnes in agris more ferarum viuabant, & vnusquisq; habebat sua animalia, & illa poterant omnimodo quocunq; fundo pascere, sedesq; in illos ponere. Quod hodie dicit in Scythia obseruari, quædque vsu venire videmus in illis extoribus, quos Aegyptios vocant, & quandiu ibi sedes retinent dicuntur possidere: quum verò discesserint, lo



cusille pot. si à quocūq; occupari. Cuius rei vestigiū  
remanet in litore maris. Colligit igitur possessionem à  
sedium positione dictam. Nos tamen ne digitum qui  
dem à veterum recepta litera recedendum arbitramur.

10 Qua in re primum statuo, quid ipsa ethymologia sit &  
unde orta. Ethymologia est (auctore Cicerone) <sup>h</sup> ver-  
bi notatio: Tum ex notatione inquit, quum ex vi ver-  
bi argumentum aliquod elicietur hoc modo quum lex  
Aelia sentia assiduo assiduam vindicem esse iubet, lo-  
cū pletem locupletē. Locuples enim assiduus est (& ut  
ait Aelius) appellatus est ab ære dando. Fabio verò  
Quintiliano auctore, propriè origiatio dicitur quæ no-  
tatio, vel origiatio quandoq; ex accedentium natura  
descendit ex qua nomen ipsum fuisse inditum, ut Ro-  
mulus post mortem dictus est quirinus à Quiri quod  
lingua Sabina hastam significat, quòd ei hastam gestare  
mos esset: sic Hippolitus quòd eum ab equis discerpi  
contingisset: qui idem & virbius est appellatus, quòd  
mortuus Aesculapij arte i lucem esset reuocatus, id est,  
à vita bis recepta. Quandoq; autem ethymologia in-  
ducitur ex eo quod esse deberet: ut Monachus quòd  
solitarius agere debeat. Tutor, <sup>i</sup> quòd tueri suę fidei  
commissum debeat. Quandoque etiam ex eo quòd eo  
tempore quum nomen inderetur obseruabatur, ut Nu-  
ptix <sup>k</sup> di. x. quòd in ijs obnubi capita solerent: sic  
Taberna <sup>l</sup> quòd tabulis clauderetur. Nam licet mos  
in defectu dinem abierit, nomina tamen adhuc in vsum  
retinentur. Sciendum est igitur Græcos & Romanos  
sepe eandem rem duobus vocabulis notasse à duabus  
rebus natura vel ratione differentibus. Quod in ver-  
bo possessionis Latino, ex verbo catochi ( ut quidam  
opinantur licet nos contra ) Græco <sup>m</sup> cernitur. A duo-  
bus etenim, hominis, industriæ naturalis ( ut sic dicā )  
membris vocabulā deriuarunt: à pedibus Romani. di-  
cunt enim possessionem, pedum esse positionē Græci  
à manibus eandem siquidem Catochin, id est, manu  
prehensionem vocant. Sic vltimam voluntatem La-  
tini ex numero testium quòd actus esset testatissimus  
Testamentū nominarunt. Græci <sup>n</sup> quæ ordinatio quæ-  
dā est, & ut ita dicā dispositio esset, Diathichin Indicat  
hoc Iureconsultus <sup>o</sup> his verbis, quum aperit, non mi-  
nus quempiam possidete, quā si pedem finibus ineu-  
lissēm in quo morem naturalis possessionis apprehen-

Euerfio opinionis  
Vaconij.

h In Topicis in lo-  
co annotatione.

i .l. i. de tutelis.

k §. r. inst. de pa-  
tria potest.

l .l. Tabernę de  
ver. sig.

m .l. i. h. t.

n Theophilus. §.  
r. inst. de testam.  
o .l. quod meo. §.  
si venditorē. h. t.

P .l. 1. h. t.

Q .l. 3. §. nerua fi-  
lius. h. t. l. 1. 2. 3.  
& .4. sup. tit. 1.

z h. t. l. 1.

o .l. quod meo. §.  
in h. t.

t .l. 3. h. t.

u d. l. 3. & l. 2. §.  
cum sicut in fr. p  
empto.x .l. quod meo. §.  
si venditorem.a .l. 3. §. ex cōtra  
rio h. t.

denda per inambulationem significat. Erit igitur Ca-  
tochin manu prehensio (vt inquit. Paulus:) P cuius rei  
vestigium remanet in his rebus quæ terra, mari, celo-  
que capiuntur. nam hæc eorum protinus sunt, qui pri-  
mi earum possessionem apprehenderint, Q Hic igitur  
quærendi modus ab occupatione est, quæ occupatio  
possessione naturalis dicitur & corporalis, vt pote quæ  
principe sensu, qui tactu dicitur, perciperetur. Quæ  
rectè Paulus † Græcè appellationi inferuiens, non vt  
primam atque aliam rerum mobilium possessionem ef-  
fe velit, immobilium verò secundam. Quum si Roma-  
nam appellationem spectemus, quod celsus <sup>6</sup> & La-  
beo (referente Paulo) facit primam rerū immobilium oc-  
cupationem dicere oportet, quod ex pedibus mambu-  
lantibus obiri solcant. Sed tamen aliorum interpretum  
qui in eam sententiam descenderunt, opinionem recen-  
seamus. Dicunt igitur primam acquirendi modum ab  
occupatione mobilium capisse post autem adeptum  
possessione dominium, non modò naturaliter, sed eti-  
am ciuilitè nos possidere. Itaque vt possessio capta  
videretur, quæ in rebus mobilibus illorum iudicio pro-  
pria & princeps erat: in immobilibus autem vix facilis  
immò ne vix quidem quum apprehendi non possent,  
ōnes fundi glebas circū ambulari solebāt, <sup>7</sup> ita vt nul-  
la pars non diceretur pedibus conculcata: qui pedum  
ingressus prehensionis loco esset. Id quia ridiculū &  
nimis superfluum videbatur satis habitum est ad  
adipiscendam possessionem, si pars aliqua fundi pertin-  
geretur, dum ea mente & cogitatione sit, vt velit totū  
fundum possidere, vt notat Paulus <sup>4</sup> Quod autem  
ait, diximus & corpore & animo acquirere nos debere  
possessionem, non vtique ita accipiendum est, vt qui  
fundum possidere velit omnes glebas circumambulet,  
sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire dū ea  
mente & cogitatione sit, vt totum fundum vsque ad  
terminum possidere velit, & hinc possessio ducta est,  
quod etiam celsus <sup>8</sup> affirmat in hac specie. Si vendito-  
rem, quod emerim deponere in domo mea iusserim pos-  
sidere me certum est, quamquam id nemo dum atige-  
rit, aut si vicinum mihi fundum mercato venditor  
mea turre demonstraret, vacuamque se possessionē trade-  
re dicat, non minus possidere capere, quàm si pedem fini-  
bus intulissem. Idem ex Paulo <sup>2</sup> dum ait: Non enim ma-  
gis possessio apud duos esse potest, quàm vt tu stare vi-  
dearis

dearis in eo loco in quo ego fio, & hinc natum est, vt  
 ponere pedem pro possidere Latini dixerint Cicero <sup>b</sup> <sup>1</sup> phyl. 1.  
 longo interuallo in possessionem libertatis pedem poni  
 mus, & alio loco idem <sup>c</sup> Philosophia vbi pedem pone-  
 ret non habebat. Ex quo aduersariorum contrariæ ra-  
 tiones an leues sint & parui momenti facile liquet.  
 Quinimodò & illorum errores pariter deteguntur, qui  
 mobilia improprie possideri, cum pedibus non tenean-  
 tur contenti dunt. Quandoquidè immobilium tanquã  
 mobiliu possessio apprehenditur. Sin verò dixeris  
 mobiliu possessionem leuem & infirmam esse, quum  
 facilius amittatur desperatione inueniendi. Respondi  
 non id ex mobiliu natura provenire sed nostro facto,  
 quando immobilium non ita facile possessionem amit-  
 tamus: nempe quæ occultari non possunt & ipsorum  
 naturalem semper possessionem nancisci possimus non  
 itidem mobiliu. Propterea dicebat Nerua <sup>d</sup> Fili<sup>9</sup>  
 res mobiles excepto homine quatenus sub custodia no-  
 stra sint eatenus possideri, id est, quatenus si velimus na-  
 turalem possessionem nancisci possumus, nam pecus si  
 mul atq; aberrauerit aut vas ita exciderit, vt non inue-  
 niatur protinus desinere à nobis possideri, licet à nullo  
 inueniatur & ideo Caius <sup>e</sup> Rem, quæ nobis subrepta  
 est, perinde intelligitur desinere possidere, atq; eã quæ  
 vi nobis erepta est. Furtum enim rerum mobiliu  
 non immobilium est. Quarum possessionem amitti di-  
 cimus quum ea ita perdiderimus vt nesciamus vbi sint,  
 non quod vised inueniendi desperatione tanquam à  
 possidendi proposito egredimur. Possideri <sup>h</sup> igitur  
 res mobiles dicuntur quoniã corporales sunt (vt Pau-  
 lus docuit) Possideri autem possunt quæ sunt corpo-  
 ralia & adipiscimur possessionem corpore, & animo.  
 Idem <sup>i</sup> alio loco, si viam habeam per tuum fundũ &  
 tu me ab ea expuleris per longum tempus non vtendo  
 viam amittam, quia nec possideri intelligitur ius incor-  
 porale, nec de via quis mero iure detruditur, id est, non  
 nisi longi temporis negligentia viam amittam, à qua  
 non videor à te expulsus. Ideoq; neque tu amisisse, ne-  
 que tu eius possessionem tibi quæ fuisse videris i quo-  
 nam ista incorporalia apprehendi non possunt. Posses-  
 sio autem occupatione quæritur, quare nec vsucapi po-  
 test seruitus quum possideri non queat (quod & Caius <sup>k</sup>  
 notat) Rei traditionem & vsucapionem non recipere  
 manifestum est. Idem scribit Theophilus, quæ om-  
 nia

clib. 4. de finibus.

Contrariæ ratio-  
nes eluancur.d l. 3. §. Nerua fi-  
lius. h. t.e l. rem quæ nobis  
h. t.f l. quam rem infr.  
de vsuca. § quod  
autem inst. de vsu.  
g l. si id quod h. t.  
l. 3. in fi. cum dua-  
bus seq. sup. tit. 1.  
h l. 3. h. t.i l. sequitur § Si  
viam inf. tit. 1.k l. seruus § incor-  
porales sup. t.

l § 1. inst. de inter.

nia mero iure Valere puto, id est, merois siue puris ver-  
bis, quibus lex scripta est inspectis. Licet autem res  
mobiles possideantur tamen appellatione possessionis  
mero iure non continentur, vti appellatione possessio-  
nis rerum immobilium proprietates intelligatur vt Pau-  
lus<sup>m</sup> interdum (ait) proprietatem quoque verbum pos-  
sessionis significat, sicut in eo qui possessiones suas lega-  
stet responsum est. Vbi recte interpretes obseruant

<sup>m</sup> .l. interdum de  
ver. sig. l. filij. §. fi.  
ad munic. l. initio.  
C. de pac. int. emp.  
& vend. l. 2. C. de  
fid. min. l. ab execu-  
tione. C. quo. ap-  
pell. l. cum facis. §.  
fi. C. de agr. & c. f.  
l. rura. l. locorum.  
C. de om. agro def.  
lib. 11.

<sup>n</sup> .l. cum res. C. de  
contra. emp.  
In paradoxo.

<sup>o</sup> In suo Lexico.

<sup>p</sup> .l. i. in fine de  
fur. §. retinende in  
fide interdic.

hoc possessionum legato res mobiles non contineri. Sic  
enim fert loquendi vsus quod pluribus locis notatum  
est: quod tamen semper intellectu velim, nisi aliud me-  
testimatoris aut subiecta materia suadeat quomodo Tul-  
lius in paradoxo possessionis nomine comprehendit oia  
quae in nostris bonis annumerantur. Diues est (inquit)  
cui tanta possessio est vt liberaliter possit viuere. Impe-  
rator<sup>n</sup> quoque possessionis nomen proprietati accōmo-  
dat. Idem Cicero alibi pro praedio vsurpat, vnde pos-  
sessiones vrbanae & rusticae dicuntur. Callidi (inquit)

ae simatores prata, & arcae magni aestimant, quod ei ge-  
neri possessionum à nemine noceri potest. Festus<sup>o</sup>  
quoque scribit possessiones appellari agros late paten-  
tes publici priuatiq; iuris qui nō mācipatione sed vsu  
tenebantur, & vt quisq; occupauerat possidebat. Qua-  
re ad proprietatem rerum mobilium hoc nomen vix  
proprie pertinet: quoniam communis vsus loquendi  
repugnat, vt proprietatem mobilium possessionis no-  
mine designemus; tamen si dubium non sit P ea nō im-  
proprie possideri. Sed iam familiaris nos sermonis cō-  
suetudo eo duxit, vt tantum de rebus soli dicatur.



Insequens est quaestio an possessio sit  
& hoc in causa propositum esse de-  
buerat, quoniam nostrae tractationis e-  
subiectum, atq; ideo quia notum ma-  
gis ad id conueniendum & tanquam  
ante oculos positum transilendum.

Non ab re tamen erit vt ipsius originem repetamus,  
nam si cognouerimus non casu ipsam fuisse constituta,  
sed iudicio & ratione nominatam, à natura omnē vim  
habere, q & si pro rei dignitate veri inuestigandi stu-  
dio omnes trahimur, nihil erit tam difficile & obscurū  
cuius alacritate animi industria, & labore non assequa-  
mur. Queramus igitur an possessio sit atq; verū ho-  
mini liceat rem communem veluti propriam possidere

<sup>q</sup> .l. i. sup. t. & h.  
t. l. i. de rer. diu.

zani ab. An. i. & l.

Dubium primo faciebat, quoniam nullus debet tribue  
 re quod Dei sit, Deiautem rerum omnium dominium  
 esse in psalmis <sup>r</sup> testatum est. Secundo nomen domi- r. Psal. 23  
 ni potestatis appellatione teneri potestatem porrò ho-  
 minem non habere sed vnicum Deum <sup>b</sup> eum quippè <sup>b</sup>. distin. 8. c. 1.  
 verius est potestatem habere, qui rerum naturam po-  
 test immutare. Ad secundum suggeri solet quòd nulli  
 liceat rem communem vt propriam possidere, atque  
 ita ratiocinatur, Omne quod est contra ius naturale  
 illicitum esse, <sup>t</sup> secundum autem ius naturale omnia es-  
 se communia, <sup>u</sup> cui quidè communitati repugnat pro-  
 prietas possessionum: Igitur illicitum cuius rem sibi <sup>u</sup>. distin. 8. cap.  
 propriam facere ex èplo <sup>x</sup> spectantium in theatris vt un-  
 tur si quis enim præueniens ad spectacula prohibere  
 aduenientes, occupando sibi loca, ne communibus lu-  
 dis fruereutur, eum iniuriam facere. Ita & qui ea qui  
 bus omnes vti debent sibi vindicat, non iure agere.  
 Quæ licet non incoloratè dicuntur, magis est tamen ve-  
 ritati consentaneum communia, propria aliquorum fie-  
 ri posse quod facile intelliget, qui duo sibi persuadebit.  
 Primum quòd res exterior potest dupliciter considera-  
 ri: vno quidem modo pro eius natura quæ humanæ  
 potestati non subiacet sed soli diuinæ. Altero item mo-  
 do pro vsu ipsius rei & quatenus homo <sup>a</sup> naturale do-  
 minium habet potestque suo arbitratu illis vti, quasi  
 re propter se nota vel facta semper enim imperfectiora  
 perfectioribus seruiant. Qua ratione Aristoteles prob-  
 bat possessionem rerum exteriorum naturaliter ipsius  
 hominis esse. Hic autem naturalis dominatus in rel-  
 quas creaturas homini propter rationem in ipso in sita  
 competit, vel potius ob dei imaginem in humanis ani-  
 mis diuinitis delineatam, & expressam. Id quod à Mo-  
 se <sup>b</sup> literis proditum est ( dicit enim ipse ore Dei ) fa-  
 ciamus hominem ad imaginem nostri, & præ sit pisci-  
 bus maris. Quæ quum ita sint ad primum dicendum  
 est Deum principale dominium omnium rerum habere,  
 ipsumque pro sua in genus humanum benignitate &  
 prouidentia corpori humano sustentando atque exhibē-  
 do res aliquas destinasse <sup>c</sup>: proptereà hominem domi-  
 nium naturale usurpare hoc est utendi potestatem. Ad  
 secundum illa ratio de dominio & potestate Dei iusta est  
 quo ad ipsarum rerum naturas, nempe soli Deo compe-  
 tit. Cæterum ad secundam partem duo præfanda sunt.  
 Primum duo homini circa rem exteriorem, attribua-

t. distin. 8. cap.  
 quæ contra.  
 u. distin. 8. cap.  
 differt autem.  
 x. l. iniuriarum.  
 de iniur.

a. l. qui uas § ex  
 furctiuis. de fur. l.  
 ancillarum de pec-  
 hared. § in pecu-  
 dum inf. de rerū  
 diu. l. iustissime  
 de edil. edic.

b. Genes. 1.

c. § in pecudum  
 inf. de rer. diu.

d l. ex hoc iure de  
iust. & iure.

competere potestatem, uideletet distinguendi d ex quo hominibus de causis possidere licet. Primo, quia quisque sollicitus propria administrat & procurat, quā omnibus uel pluribus communia. quod homines laboris fugientes, alius alii curam eorum quæ ad omnes pertinent facile relinquunt, sicut accidit in turba seruientium. Secunda causa quod res humanæ rectius & ordinatius aguntur, si suarum cuique rerum propria sollicitudo & cura immineat. Etenim nisi quis rerum confusio est, ubi uniuersi quæ sunt singulorum satagunt. Tercio cau santur hominis statum magis pacificum reddi quum singuli quique rei suæ administratione contenti, aliena non curant. Et ideo sæpius uidemus, eos qui indiuisim & communiter possident, inter se litigare, inimicitiaq. non leues ex communiōne frequenter oriri. Secundum est quod homini competit circa res exteriōres, usus uidelicet, quo in genere homo non habet res exteriōres ueluti proprias, sed ueluti communes, ut dicit Iustinianus e. Proprietas maris potest intelligi esse nullius, usus uerò omnium. Quod igitur, ut ad primum veniam, communitas rerum iuri naturali attribuitur, non ideo receptum est, quia ius naturale dicitur omnia esse possidenda communiter. Sed quia secundum ius naturalem nulla est possessionum & dominiorum distinctio f, sed magis hoc ex hominum constitutionibus ortum, quod pertinet ad ius (ut uocant) positium g, unde proprietas possessionum non est contra ius naturale, sed iuri naturali coniuncta & addita aliqua utilitate, quæ iuris omnis est regula ingenio & prudentia hominis excogitata. Ad secundum dicendum est illum qui præueniens ad spectacula, siquidem aliis uiam præberet, non iniuste agere, contra iniuste agere si occupaturus alios locis suis deturbaret h. Ita qui communia occupat, non iniuria agit uerum is qui iam occupata sibi arrogare uult. Nemo enim ad licus mans accedere prohibetur dummodo à villis, & monumētis, & ædificiis se absteineat, quia non sunt iuris naturalis, sicut & ipsum mare l. Quare non sine ratione dicebat Gratianus k. Ius naturale commune esse omnium nationum, eo quod ubique instinctu nature uisitatum sit, non constitutione hominis, aut destinatione positum, cuiusmodi est uiri & femine cōiun. suo, susceptio libetorum, puerorum educatio, communis omnium rerum possessio, & omnium una libertas, ac

e § litorum inst.  
de rer. diu.

f l. 1. cum 4. seq.  
de rer. diu. l. 1. sup.  
r. & h. t.

g l. ex hoc iure de  
iust. & iur.

h l. iniuriarum. §  
si quis me de iniur.

i § litorum inst.  
de rer. diu. l. in tan  
tum co. t.

k dist. 1. ca. hu  
manum genus.



quisitio eorum quæ cælo, terra, mariq; capiuntur, quæ admodum affirmat Paulus <sup>1</sup>. Possessio (inquit) appellatione lata est à pedibus, quasi pedū positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit, quæ Græci catochin appellant dominiumque rerum ex naturali possessione cepisse Nerua filius (ait) eiusque rei uestigium remanere, in his quæ cælo, terra, marique capiuntur. Nam hæc protinus eorum sūt qui primi possessionem apprehenderunt. Possessio igitur à natura ortum habet. Ceterum quū de natura ipsa passim fiat mentio, & à nobis in disputatione insitiora commemoranda sit: facturus operæ precium mihi uideor si de ea aliqua in uniuersum dicam: deinde ad ea quæ nobis propria sunt accedam. Nam secundum naturam est <sup>m</sup> communia primum rei tractare, dehinc quæ eiusdem propria sunt contemplari, posterior enim est priorum speculatio, ea quæ de communibus insituitur, & quoniam ratio definitionis essentialiam <sup>n</sup> (ut ita dicam) rei euoluit & declarat, ab eo exordium disputationis capiam.

m Aristo. 1. phif. tex. 57. & 3. phif. tex. 20. l. 1. si cert. pet. n Cice. in top. Aristo. 1. top. c. 4. metaph. 7. tex. 32. c. 12.



